

RELATIO¹⁷ COMPOSITIONIS, Inter Arma Polonica & Transilvanica,

*Extracta ex litteris in campo Regio datis
ad Cracoviam.*

Declinantibus semper in pejus fortunæ suæ favoribus, accedente licet, ex coniunctione armorum cum Transilvanis præsumptione, ultimum exterminium Poloniæ minitabatur Suecus. Optato tamen confœderationis suæ fine, etiam non obstante Bresteniis Civitatis, & repetita Varsaviæ devestatione, minime potitus est. Persuaserat ille Principi Rakocio, & Serenissimum Poloniarum Regem nullas ex Germania auxiliatrices militum, copias sperare posse, & tractatus cum Rege Daniæ dependere à suo arbitrio; ut eum contra Polonos redderet animosiorem. Factus interim certior Suecus, Daniæ Regem cum suo exercitu in Sueciam movere, ut eò facilius posset evadere, & suo regno succurrere, sparsit velle se Principi Transilvano Regni Poloniæ administrationem committere, re ipsa vero illum cum universo exercitu, inextricabilibus difficultatibus momentis exposuit. Sic illusus Princeps Rakocius, existimabat nullum esse amplius obicem, qui cursum suorum progressuum posset impedire; quare generoso animo, oppugnationem Samboriæ, Leopolis, & Zamosciij designat, ac imminentem armorum vim omnibus Nobilibus.

A

ac Civi-

ac Civitatum Incolis minitatur, ni partibus suis adhærere velint.
Vix magnas concepit cogitationes, ecce. & à Samboriensi exili
præsidio, (Civitas enim hæc majori ex parte sepibus quam muris
est munita) repellitur, & re ipsa experitur, se non tantum non-
eile exequendis designationibus patem, sed etiam non parvi mo-
menti rem foro advertit, si illi ad redeundum in propriam ditio-
nem aliqua possit patere via. Et quamvis nec dum ullam haberet
de succursu militis Austriaci notitiam, insinuabat se quibusdam
in Aula Regia existentibus, promittebatque, quod si placerent
Polonis tractatus pacis cum Sueco, vellet ipse facere instantiam
ut hi tractatus concludi possint. Advolat interea ad ripam flui-
vij Bug Dominus Palatinus Vilnensis Generalis Lithuaniae, cum suo
exercitu, suaque castra, exiguo inter hostem spatio locat. Adebat
quoq; D. Czarnecius Palatinus Terrarum Russiarum, cum selecta
Militum suorum manu, quæ etsi parva esset, non nisi enim quin-
que millia Equitum continebat, nihilominus supplente numeri
defectum virtute, ipsum nomen istius Generalis semper hostibus
formidabile, magnum exercitu Transsilvaniæ qui tunc erant 24.
millium, incussit terorem. Eo ipso tempore Nuncium Princeps
Transsilvaniæ accipit, & armistitium inter ipsum ac Polonos spe-
rare non posse, & subsidia à Serenissimo Vngariæ ac Bohemiæ Re-
ge submissa jam in Poloniâ effectivè intrasse, & Suecum non pro-
pter ineundam cum Rege Daniæ pacem, sed ad sui rerumq; sua-
rum defensionem necessitatum, jam in Pomeraniam evolasse.

Accelerat itaque recessum, qui multo felicius illi successit,
quam nostri expectarent, nec dum de ejus tā inopinata & inexpe-
ctata fuga plenè informati. Trajecto fluvio Istula cum 24. Milli-
bus suorum, nihil sibi amplius timendum existimabat, partim
quod difficulter Equitatus Germanicus illum assequi potuisset,
partim quod imaginabatur Dominum Mareschalcum Regni Lu-
bomirscium, adhuc inter montes Hungariæ commorari, & le-
giones

giones Czarnecij & Polubinscij in traijciendo Istula retardandas, ægrè accursuras. Sibi proinde sufficiens tempus ad fugam concedi ratus, cum omni securitate undecima Julij, Magistroviam intrat Princeps Rakocius, atque dum liberalius genio cum suis indulget, insperato à tergo ab aliquot Cohortibus Domini Czarnecki inauditur: ibi antequam se se inordinem redigerent milites Transilvani, sunt quingenti circiter trucidati, prater eos qui dispersi per campos gladio perierunt. Adduxit præterea Vexilifer Trocensis captivos 20. majori ex parte Officiales, & Gubernator Parkoviensis plures centum delevit, qui longioribus armati sclopeticis inter certas sepes se se munierant. Poterat eo die insigniter atteri hostis, nisi nostri circà relictorū aliquot supra decem millium curruum prædam se se occupassent, & in evacuandis curribus moram non exiguum consumplissent, quæ confusio dedid occasionem hosti, quod potuerit se recipere ad spatium medijs milliaris, & contra nostros, prædæ inhiantes selectissimum suum equitatum expedire, qui ex improviso, gladio lites illorum dissolvere conatus est; & eos in fugam convertit. Distabat tunc Czarnecius circiter uno milliari ab hoste cum reliquis cohortibus, jamque succursum illis quos præmiserat paraverat. Interim, dum redeuntes advertit, subito cum auxilijs jam paratis prooperat, redeuntes revocat, & primo quidem hinc inde propè Zolkieviam dispersos per varias vias & loca paludosa hostes interimit, eorumque 500. necat. Implorabant hi auxilium à suo famoso António, Collonello Transilvani, sed impetrare non poterant, nam pavore consternatus, & in desperationem actus hic Collonellus abjecit animum, & ab illis suis designationibus in spolianda Zolkiewia, ab impositione contributionum Urbi Leopoliensi, ac ejus territorio desistere coactus est.

Ad vigesimam secundā Iulij Dominus Czarnecius fuit necessitas concedere aliquam defatigato Exercitu suo respirationem, ut

proinde hostis celeriori passu magnam itineris partem cum suis confecerit, relinquens a tergo selectiorum circiter 4000. putabat quippe non improbabiliter, eos qui eum insequebantur, numero esse inferiores. Post exiguum respirationem, duæ cohortes nostrorum asscutæ & aggressæ sunt ultimum hostile agmen, & per aliquot horas infestarunt, desistere tamè a pugna propter imparitatē coacti sunt, donec tertia & quarta cohors, ac deinde totus Exercitus supervenisset, sed jam cum recedente hoste nec his nec illis ad configendum campus dabatur commodus, Transilvanis interim terga vertentibus; & paucis jam a fronte se repræsentantibus: propiores enim jam suo exercitui facti erant, ut eo celerius & securius fuga sibi possent consulere; quare reliqua quæ supererant impedimenta abijciebant.

Adverterat D. Czarnecius, hostes in patentiorem campum devenisse, quare dextrimè revocat suos milites, expectans commoditatem pugnandi, quâ oblatâ, cum maximo impetu insultum fecit contra hostem; nascitur interea confusio & horror inter Transilvanos, ut non fugere, sed præcipitari in paludes & aquas viderentur, ibi in luto magna eorum pars perire, præter eos qui gladio aut sclopis insequentium Polonorum interierunt. Nox imminens dirupit prælium, quâ durante prosequebantur fugam hostes reptantes manibus per terram, & illos difficillimos transitus. Nostri acceptis aliquot captivis, ac signo quod præferebatur ipsi Transilvanorum Principi, & uno vexillo prætorianæ cohortis, ob difficultatem itinerum paludibus circumdatorum undique, expectabant diem ut insequi hostem securius possent; qui rursus in illas paludes reliqua spolia projecerat ac tormenta; equis qui eadem trahebant abductis. Invenerunt ibi nostri cum carpentis & curribus suppellectilem Principis Rakocij, & aliorum curruum, equorum, boum & pecorum infinitam ut sic loquar copiam; His levior & expeditior hostis accele-

accelerabat fugam, quem iterum Dominus Czarnecki & Gubernator Babimostensis affecuti, contra ultimum agmen insulatum fecerunt, quod licet strenue se tunc gesserit, canere tamen receptui non sine aliquo damno coactum est. Dominus autem Czarnecius, videns suum exercitum paulatim defatigari, movit in persona propria ad quærendos DD. Generales, qui ut spargebatur, non erant nimis dissipiti; partim ut illis recensere posset magis singularia, & eos de statu hostis informaret, partim ut persuaderet, invadendum esse hostem unitis viribus, & cum promptiori equitatu properandum, ne aufugiat. Dum tribus diebus, abesset à suo exercitu Czarnecius, dubitantibus nostris de inveniendis DD. Generalibus, ecce pars Rakociani exercitus, in acie ordinata comparet sub Podhaice, sed quia reliqua pars eum Rakocio erat remotior, & quia viæ erant difficiles & obstructæ, ob perffissionem aggeris cuiusdam, quam inundatio vastissimorum camporum magna ex parte est secuta, omnem sustulerat de nostrorum qui à tergo restabant statu notitiam; interea nostris transitus reddebantur magis difficiles, illis vero unicus tantum restabat, quo superato, potuerunt se facile in tutiorem locum recipere; Movit itaque totus exercitus Generalium cum Czarnecio, & expeditis varijs exploratoribus ad indagandum, ubi locorum & quam procùl, abesset hostis, paulò post fuit intellectum non sine admiratione, immò cum risu planè omnium, eum non amplius uno & medio distare millari. Quare expedita sunt regimina Ducis Wisnoviecij, Dapiferi Regni, Sapiehæ & Makovscij, qui planè eo tempore supervenerunt, & copijs Czarnecianis se junxerunt, quando reliquæ curruum hostilium cum ultimo agmine & exigua satis custodia difficultem Zuoleni superare conabantur transitum. Nostri itaque relicti curribus, & neglecta quam habere poterant opulenta præda, hostem insecuri & feliciter affecuti sunt, ad Meziboriam,

ubi erat Rakocianis ultimus gradus difficultatum in transito superandus. Videntes à tergo hostem Transilvani numero & viribus auctum, castra sua in loco à natura satis munito metati sunt, interea in quantum sinebat brevitas temporis, procura- bant illum magis per industriam fortificare.

Habitum interim consilium in castris, ex quibus mittitur ad nos Legatus à Rakocio, qui uno milliari Italico nostros ad pugnā instrūtos dum videt, subitò propria voce exorsus est proferre verba, quæ declarabant, multum pænitere Principem facti, quod contra Serenissimum Poloniarum Regem suam fecerit cum Sueco confœderationem. Arbitrabantur non sine fundamen- to nostri Generales hostem, hæc ideò facere, ut interea moras trahat, unde commodior possit illi aperiri via, quæ noctu se subtrahentibus deserviret. Interim tamen descendentes ex equis Generales curarunt figi tentorium ad audiendum Legatum. Vix prima ille protulit suæ legationis verba, interruptus sermonem Dominus Marschalcus Regni Lubomirscius, Domine Legate, inquiens, non est tempus descendendi ad aulica officiorum vocabula, & multas verborum ambages, si venis sincerè nobiscum pacem tractaturus, neceſſe est ut tuus Princeps, immotus maneat eo loco quo nunc est, & expēctet nostram resolutionem; Nam non nisi elevatis utrinque armis inchoare tractatus pacis volumus. Legatus relictis obsidibus quos secum adduxerat, cucurrit velociter ad Principem, relationemque fecit de hac Generalium Poloniæ resolutione. Celeriter igitur Rakocius Can- cellarium suum Michies, expedivit non expēctatis etiam ob- sidibus nostris, qui nihilominus jam erant destinati, scilicet D. Palatinus Derpatiensis, & D. Gubernator Molstinenensis. Can- cellarius ille declaravit velle Principem suum pacificè, certis con- ditionibus exoriri tractatus pacis. Illicò interrogatus, utrum sit promptus Rakocius compensare omnes injurias & damna,

Eccle-

Ecclesijs & Reipublicæ facta per illum, quandoquidem jam sic tempus præstandi id , sanguine vel auro mediante? Respondit ad hoc intrepidè Cancellarius, quamdiu Princeps meus ferrum habebit, tam diù de auro mentio non est facienda. Subiuxit D. Czarnecius. Extrema vestri status nota sunt nobis, & vos ipsimet in his, quos videtis Militibus Polonis promptam advertitis esse voluntatem spargendi ultimam guttam sanguinis pro Deo & Rege suo. Ego igitur cum licentia DD. Generalium sine mora descendeo, probaturus armis hanc veritatem. His dictis, reliquit confessum, & signis Lithuaniae stipatus, accinxit se itineri contra hostem, qui rebus sic stantibus jam aciem instruxerat, & insuper alios in succursum parabat, omni meliori modo, qui tunc erat possibilis. Cum vidisset Generalis Rakocianus tantam Czarnecij animi resolutionem, progressus est cum paucis eundem versus, & deprecatus est, ut tantisper pugnam differat, nec inceptos pacis tractatus solvi permittat, certo certius illi promittens eos cum debita satisfactione Poloniæ concludendos. Interea etiam supervenit ordinatio reliquorum DD. Generalium, ut nostri subsistant, nec hostem aggrediantur, donec contrariam habuerint ordinationem. Intra duas interim horas ab abitu Czarnecij, conclusi sunt tractatus his conditionibus, manu Princpis subscriptis.

1. Princeps Transilvaniæ precabitur veniam à Serenissimo Poloniarum & Sveciæ Rege, similiter à Serenissimo Rege Vngariæ & Bohemiæ, nec non à Porta Othomanica, expeditis ad singulos Legatis suis.

2. Dabit honorarium Supremo Tartarorum Chamo, & suo primario Vesiero.

3. Renunciabit amicitiæ & confœderationi factæ tempore elapsø, & moderno contra Poloniæ, & unict se omnibus eidem Confœderatis.

4. Dabit

4. Dabit certum numerum milicū ad servitium Poloniæ quoties exigetur.

5. Reddet omnes Civitates & pagos quos usq; ad hoc tem-
pustenuit & occupavit relictis omnibus armis & munitionibus.

6. Faciet liberos omnes captivos cujuscunq; conditionis in
Polonia captos.

7. Prodet & reddet omnes Tradidores, exceptis ijs qui ante
modernum bellum eidem Principi servierunt.

8. Restituat omnia bona & ornamenta Ecclesiarum, quæ
apud se detinet.

9. Solvet Millionem florenorum exercitui Polonico : &
offeret honorarium Generalibus ejusdem, ejus summæ quæ di-
scretioni submittetur.

10. Ea abscedet via, quæ à DD. Generalibus ipsi pro reditu
in patriam assignabitur.

Quam verò sit semper sincerus & clemens Serenissimi Polo-
niarum Regis erga ipsos hostes animus, constat clare ex literis Se-
renissimæ Reginæ in quibus scribit ad DD. Generales, & ad alios
Colonellos, debere eos recordari mādati Regij, quo jubebātur, pri-
mò inire omnes vias tractatuū de pace, quæ si non pateant, experi-
endam belli aleam, non propter augendorum triumphorum am-
bitionem, cuius locus non est, ubi magna sanguinis Christiani fi-
eret effusio. Si enim Deus permisit ut Princeps Transilvaniae adeò
armatus & æstimatus in Polonia concurreret ad ejus augendam
calamitatem, placebit etiam eidem Divinæ Majestati, ut postquā
ille experimento suorum confederatorū advertit in sinceritatē,
inveniat media reducendi cum ad antiquum amorem & respectū
erga Serenissimum Regem nostrum, sperariq; potest, eo firmiore
fore ipsius amicitiam, quo imperfectiores fuerunt omnes illæ libe-
rales affectuum declarationes & promissiones novi Dominij,
quæ ante paucos menses, eidem juramento erant
comprobatae.